

in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc o homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea: quia tu effugies iudicium Dei? Secundum veritatem erit iudicium, quo iudicabuntur huiusmodi qui non condemnare in aliis potuerunt quae ipsi committere non timerunt. Si enim tu peccator, peccatorem tibi similem iudicas; quanto magis Deus iustus te iudicabit injustum? ne illi mala placere, & displicere bona forsitan videantur: Quippe quem sine personarum acceptatione, nec amicis suis, nec angelis legitimus pepercisse peccantibus. Humanum autem iudicium multis modis corrumpitur. Amore, odio, timore, avaritia sepe iudicii integritas violatur: & contra iustitiae regulam interdum misericordia inclinatur.

Andivitas bonitatis eius & patientia, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Hic aperte monstratur quare peccatori desideria cordis sui dimiserit Deus: & cum possit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mavult converti ad poenitentiam. Item nunquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in presenti non reddit: & tu longitudinem temporis, & abundantiam bonitatis intuens, putas iam non esse iudicium? Audi scripturam sententiam: Non tardat Dominus promissis, sed patienter agit propter vos nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam converti. Bonus est expectando, iustus est puniendo. Unde admonet Propheta: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: subito venit ira eius, & in tempore vindictae disperdet te. Et iterum, Ne dixeris, peccavi: & quid accidit mihi triste: est enim altissimus patiens redditor. Multj se homines per patientiam Dei seducunt: quia non vult statim punire peccantes: putatur enim aut res humanas minime curare, aut culpas indulgere quia differt. Plerique etiam contra se calumniantur, cur in presenti non reddit: non intelligentes quod si ita fieret, nullus penè hominum remaneret: nec unquam de injustis fierent iusti. Ideo autem hominibus videtur Deus diu expectare peccantes: quia nos cum parvi temporis finis, annos centum aeternitatem putamus. Ille autem apud quem mille anni pro uno sunt die, centum annos unius horae suae spacio non coaequat: quapropter hoc parvum est apud eum: cum etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium.

Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor. Tu autem imprudens aeger, ad vulnera major abuteris ipso remedio: quia iuxta sententiam beati Job: poenitentiae loco abuteris in superbiam. Unde non agnita pietas majus tibi iudicium parat: ut vindictam sentiat qui misericordiam sentite contempsit. Iterum, omne enim cor quod non sentit, induratur. Hoc enim modo induravit Deus cor Pharaonis.

Thestauris tibi iram in die irae, & revelationis iusti iudicii Dei: qui reddit unicuique secundum opera eius. In diem iudicii, iram tibi super iram ipse condidit: qui die definito, & certo tempore apparebit.

Hic quidem qui secundum patientiam boni operis. Boni operis merces per patientiam expectatur: quia in presenti vita non redditur. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Et tunc erit perfectum opus, si in finem usque duraverit: quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Gloriam & honorem, & incorruptionem. Gloriam, qua sancti fulgebunt ut sol. Honorem, filiorum Dei quo nihil est majus: per quem etiam angelos iudicabunt. Incorruptionem vitae perpetuae.

Quaerentibus vitam aeternam. Qui per patientiae opera quaerit vitam aeternam: ista omnia consequitur. Et qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Hic autem qui sunt ex contentione. Audiant qui saepe videt, animositate contendunt, & timeant in consuetudine pessima permanere, ne ista omnia super eos deputentur: Jam superius dictum est, contentiosum hunc esse specialem, qui aliquid contra conscientiam suam nititur defendere.

Et qui non acquiescunt veritati: credunt autem iniquitati. Evangelicae veritati non credunt, & contentiunt iniquitati, ut relicto creatore, deserviant creaturae.

Ira & indignatio. In iudicio poenae sunt. Tribulatio & angustia. Conscientiae & instructio poenitentiam.

sententiae, sicut scriptum est: Tunc dicent intra se poenitentiam agentes, & per angustiam spiritus gementes. Item hucusque sermo dirigitur ad omnes naturali obnoxios legi: In quo etiam Iudaei pariter continentur. Idcirco autem Iudaeus gentili antefertur: quoniam praeter naturalem legem, & Moysi legem scriptam habet.

In omnem animam hominis operantis malum: Iudaei primum & Graeci. Animae poenam Apostolus comminatur, propter haereticos, qui solam carnem delinquere dicunt: & animam negant posse peccare. Sive anima pro toto homine dicitur: Sicut in Genesi: Jacob cum septuaginta animabus Aegyptum introisse refertur.

Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Gloria contra iram, honor contra indignationem. Et quod supra incorruptionem, hic pacem appellat.

Iudaeo primum & Graeco. Quod supra animam, hic hominem nominavit. Primum autem pro quidem ponit. Sive primum credulitatis tempore, non honore.

Non enim est personarum acceptio apud Deum. Ergo nec gentes sibi de ignorantia fallae: nec Iudaei de legis circumfisione, & privilegio blandiantur.

Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Sine lege literae, in lege naturae: hoc loco, peribunt & iudicabuntur: unum voluit intelligi: quia & qui perit, per Dei iudicium perit: & qui iudicatur, peccator perit: sicut scriptum est: quia peccatores peribunt. Nam & similes illos facit dicendo: Non auditores tantum legis iustos esse, sed factores. Et paulo inferius dicit gentes in die Domini iudicandas. Quis enim dubitat tam sub lege positos quam sine lege degentes, nisi Christum crederint, perituros?

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Reddit rationem quare non sint gentibus meliores. Unde & nobis timendum est, ne audientes legem & non facientes, cum gentibus pereamus: sicut ipse alibi dicit: Ne cum hoc mundo damnemur.

Cum enim gentes qua legem non habent. Ne quis forte diceret, legem non habent: ad quam formam poterunt iudicari.

Naturaliter ea qua legis sunt faciunt. Sive de his dicit, qui naturaliter iusti fuerunt ante legem: sive qui etiam nunc boni aliquid operantur.

Ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Ostendit illos non esse sine lege, ut & gentes inexcusabiles faciat, & Iudaeis de proprietate gloriam tollat.

Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Natura agit legem in corde per conscientiae testimonium: sive conscientia testatur legem habere timendo, dum peccat: & videtur gratulando peccatis, etiam si nullum hominum vereatur ipse qui peccat.

Et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Dicit altercationes cogitationum esse, cum quid faciendum, vel non faciendum diutina deliberatione decernimus: & secundum hoc nos in die Domini iudicandos: quia bonum malumve non ignorasse probamur. Sive conscientia, & cogitationes nostrae erunt in die iudicii ante oculos nostros, tanquam quaedam historiae cognoscendae: aut ipse nos accusabunt, aut etiam excusabunt, sicut scriptum est: Arguam te & statuiam eam contra faciem tuam.

Secundum Evangelium meum, per Jesum Christum. Secundum quod annuncio, per Jesum Christum iudicabit Deus.

Si autem tu Iudaeus cognominaris. Hic convertit se ad Iudaeos, docens opere non nomine tantum debere esse Iudaeum: eumque esse verum cuius occulta sunt bona.

Et requiescis in lege. Confidis vel securus es.

Et gloriaris in Deo: & nostri voluntatem eius. Gloriaris te solum nosse Deum, eiusque voluntatem agnoscere.

Et probas utiliora instructus per legem. Eligis majora, & inter minora discernis. Quae enim per naturam utiliora probantur, utiliora sunt per legem.

Confidis te ipsum esse ducem caecorum. Quorum cor obsecratur est.

Lumen eorum qui in tenebris sunt. Ignorantiae. Eruditorem insipientium. Qui Dei non habent sapientiam.

Magistrum infantium. Parvulorum aetate, vel sensu. Habentem formam scientiae, & veritatis in lege. Ad quam semper respiciens, errare non potes.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces. Similiter gentibus dixerat: Qui enim alium iudicas, te ipsum condemnas? Qui in lege requiescis o Iudaeae quare transgredieris legem? Qui gloriaris in Deo: quare in honores Deum? Qui noli voluntatem eius: quare non obtemperas eius voluntati? Qui probas utiliora: cur inutilia sectaris? Dux caecorum, quomodo viam non vides rectam? Si enim videres: per ipsam utique ambulares. Si lumen es aliorum, cur non abjecis opera tenebrarum? Eruditor insipientium, ut quid timorem Domini qui est initium sapientiae, reliquisti? Magister infantium, quomodo puer es in sensu? Qui habes formam scientiae veritatis in lege, quare nec ipse sequeris, nec alios qui pessimo exemplo permittis? Quare non convenit vita tua doctrinae tuae, & opus tuum destruit fidem tuam? Unde fiet ut lex a te non custodita, non solum tibi nihil proficit, sed etiam maioris criminis reum, suum contemptorem obtimeat.

Qui praedicas non furandum, furaris. Quidam dicunt, abscondendo ab hominibus furaristi Christum.

Qui dicis non mactandum, mactaris. Non est una mactia. Nam omne quod Deo debet anima, si aliqui praeterquam Deo reddiderit, mactatur.

Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Sacrilegium est quod proprie in Deum committitur: quasi sacrosancti violatio. Item in hoc, inquit, in quo committis sacrilegium, idololatra esse monstraris.

Qui in lege gloriaris, per prevaricationem legis Deum in honoras. Exponit sacrilegium, quia dicit:

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes: sicut scriptum est: In Isaia: Praeposterato ordine ante posuit testimonium quam diceret, scriptum: Ita enim dicentis sermo dilapsus est, ut quod ex propria intentione dicebat: eodem sensu scriptum repererit. Vel revera, quorum in iustis actibus nomen Dei fuerat blasphematum: sicut scriptum est: Polluerunt nomen meum inter gentes: dum dicuntur populus Dei, inter quas gentes captivi, suis peccatis facientibus morabantur. Item, sicut ait: Per bona opera vestra benedicatur Deus: ita nunc non recte conversantibus blasphematur.

Circumfisionis quidem prodest si legem observes. Si autem praevicator legis sis, circumfisionis tuae praepitium facta est. Quomodo nihil est si prodest: Prodest tempore suo signum: prodest si iustitia (cujus est signaculum) addit. Caterum sine illa superfluum erit: sive quia vivere faciebat Iudaeum, & infantia exterminari antequam sciperet: sive quia in lege faceret esse: quia respecta invenitur carnis circumfisionem cessante, veram illam cordis esse venturam. Et praevicator legis est, dum non sequitur id quod ibi praedictum est.

Si igitur praepitium iustitiae legis custodiat: nonne praepitium illius in circumfisionem reputabitur? Visibilia indigent invisibilibus, invisibilia non indigent visibilibus, eo quod visibilia imago sunt invisibilium: & invisibilia, veritas sunt visibilibus: ideo circumfisionis carnis, indiget cordis. Circumfisionis autem cordis, non indiget carnis: quia imagine non indiget veritas: imago autem indiget veritate. Queritur sane: quare sit data circumfisionis, si per se ipsam non prodest. Primum, ut agnosceretur Dei populus inter gentes. Denique quando soli erant in eremo, circumfisionis non fuerunt. Sive ut corpora eorum agnoscerentur in bello. Nam quod in tali membro signantur, haec causa est. Primum ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publice videretur. Iterum, propter gratiae promissionem, in qua erant per castitatem placituri. Sive ut Christus significaretur ex eius semine nasciturus, ad quem futura erat ista carnalis, quae spiritali habebat afferre: Cuius typum gerens Jesus Nave, populum secundum circumcidere iubetur.

Et iudicabit id quod ex natura est praepitium, legem consummans, te, qui per literam & circumfisionem praevicator legis es. Sive dum literam circumfisionem sectaris, circumfisionem spiritus accipere dedignaris: sive non sequendo quod lex dicit: hoc est ut Christo credens, veram circumfisionem acceperis.

Non enim qui in manifesto Iudaeus est: neque qui in manifesto in carne est circumfisionis: sed qui in abscondito Iudaeus

Tou. V.

est. Ipse est verus. Omnia enim quae antea circa exteriorem hominem gerebantur, figuram interioris habebant.

Et circumfisionis cordis. De qua scriptum in lege est: In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum & cor feminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum. Et iterum: Circumcidite vos Deo vestro, & circumcidite praepitium cordis vestri.

In spiritu non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Non secundum literam legis, sed secundum novum Testamentum: quod interiora quarit, quae solum videt Deus.

Caput III.

QUID ergo amplius est Iudaeo: aut quae utilitas circumfisionis? Multum per omnem modum. Ex persona Iudaei interrogantis dicitur: respondente Apostolo, multum quidem secundum omnem modum. Ideo autem multum interest: non quia circumfisionem in carne acceperunt, sed quia credita sunt illis eloquia Dei. Item reddit rationem quod lex contempta non proficit: & quod carnalis circumfisionis praerogativa, nullis operibus fulta, sit vana. Interrogat quid amplius habeat Iudaeus. Ex cuius persona respondetur: Multum per omnem modum. Nam si ipsius sensus est: multum per omnem modum: & omnis homo mendax: quomodo postea contravenit, dicens: Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus? Absit, &c. Postremo, quomodo Iudaeus nihil amplius habere confirmat, si hic multum habere commemorat.

Primum quidem: quia credita sunt illis eloquia Dei. Hoc estis dicturi: primum, quod credita sunt illis eloquia Dei: & gentibus nulla.

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Fidem promissorum, cum sit dictum Abrahae: Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes.

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Hic omnis, pro maxima parte dicit, sicut: Omnes sua quaerunt. Et omnes me dereliquerunt, Lucas est mecum solus.

Sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. In psalmo quinquagesimo. Hoc testimonium ita posuit pars adversa, quasi diceret: Propterea ego peccavi. ut tu iustus appareas, me iudicando. Sed verus sensus sic se habet: quia promiserat se Deus sine personarum acceptatione in peccantibus vindicare: & quidam eius patientiam mendacium iudicabant: vincit cum iudicaverit, quando eorum facta puniet: in quibus nemo putaverat vindicari. Aliiter: Probasti te curam de hominibus habere: qui per Prophetam mea abscondita revelasti, & viciisti eos qui te incuriosum humanorum actuum esse confingunt. Hucusque obiectio currit: jam incipit Apostolus respondere.

Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus. Iniquum est, si in illis vindicat, qui ideo peccaverunt, ut illis iustior appareret. Item non quod nostra iniquitas addat iustitiam Deo, sed in tempore quando in iudicium cum Deo venimus, non observantes praerogativa eius, promissionem retributionem fraudamus. Unde ostenditur Deus verax: quia quae promissit sanctis, peccatoribus non dat.

Qui infert iram? Ut in diluvio & Sodoma, ita in iudicio.

Secundum hominem dico: Absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Secundum te, qui taliter sentis. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Quia iustitia damnabit iniquitiam: si, secundum te, humana iniquitate sit iustior.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius. Hoc est, crevit.

Quid adhuc & ego. Hoc est, insuper iudicor ego quicumque mentior homo, qui laudari deberem, si meo mendacio, Dei veritas comprobatur.

Tanquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur: & sicut aiunt quidam nos dicere. Ut qui me ita iudicat quae peccantem, & non sicut quidam nos aiunt dicere: quod quanto majora mala fecerimus, tanto majora bona recipiamus.

Faciamus mala, ut veniant bona. Hoc fortassis ideo putabant: quia non intellexerunt quod quidam dicebat: Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.

Quorum damnatio iusta est. Quid iustius, quam ut hanc penam sentiant, quam nos negare mentiti sunt: qui nihil magis quam iustum Dei iudicium predicamus.

Quid ergo? Praecellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Iudeos & Græcos, omnes sub peccato esse. Nos ex Iudeis nullam unde majores sumus invenio causam. Hoc enim investigavit ratio, sub peccato esse, & Iudeos & Græcos: quod non ratione sola colligimus, sed etiam de Iudeis testimonio comprobamus. Item hoc ostendit: quomodo Iudæi licet legem & Prophetas haberent, nihil tamen amplius quam gentes habeant: quia omnes similiter peccaverunt, & egent gloria Dei.

Sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam. In psalmo tertio decimo, Psalmus iste unde hoc testimonium sumptum est, de insipiente loquitur: quod testimonium in adventu Christi, præcipue ostendit impletum tempore scilicet passionis, quo nullus iustus cum pateretur, puto inventus sit.

Non est intelligens, non est requirens Deum. Qui non requirit fundamentum, necesse est ut declinet.

Omnes declinaverunt. Qui non intelligit, non requirit: seu ideo non intelligit: quia non querit. Deus autem tunc requiritur, cum eius voluntas inquiratur: quia omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum eo quod qui peccat, Domini sui non cognoscit voluntatem. Nam & vulgo nescire dicitur, cuius voluntas ignorata est.

Simul inutilis facti sunt. Inutiles ad opus, ad quod fuerunt procreati.

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Nec Apostolus, Item si non est qui faciat bonum, quomodo inferius plebem suam arguit devorantes, & inopum consilium confundentes? Plebs enim Dei non erat, si bonum non faciebat: maxime cum iusta ibidem generatio appelletur. Hoc magis ad psalmi expositionem pertinet, quam ad Apostoli causam.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Fectore doctrinæ suæ, & adulatione contaminans, & interficiens audientes. Ideo enim sepulchrum diligenter clauditur, ne adhuc viventibus exhalatione sua generet pestem.

Linguis suis dolose agebant. Aliud ore promittentes, aliud corde volutantes.

Venenum aspidum. Horum serpentium pessimum dicit esse venenum.

Sub labiis eorum. Hoc est, in corde.

Quorum os maledictione. Non est unius generis maledictio. Quicquid enim malo voto dicitur, sine dubio male dicitur.

Et amaritudine plenum est. Amaritudo contraria est dulcedini verberum Dei.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Sive simpliciter homicidas dicit: sive interficientes animas adulando. Unde in actibus Apostolorum dicit Paulus: Mundus sum ab omni sanguine. Non enim subterfugi, quo minus vobis annunciarem omne consilium Dei.

Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt. Conteruntur & infelices fiunt anime in doctrinis eorum, vel in exemplis conversationis eorum.

Non est timor Dei ante oculos eorum. In timore Dei conclusit: qui si timore Dei semper ante oculos habuissent, non utique deliquissent. Neque enim audeat servus Domino præsentem peccare.

Scimus autem quoniam quacumque lex loquitur: his qui in lege sunt, loquitur. Ne dicerent, hæc in psalmo de gentibus dicta, ostendit quæ in lege dicta sunt: his qui in lege sunt, loqui. Queritur sanè, quomodo Iudæi dixerunt Deum non esse. Non utique verbo dixerunt, sed opere. Nam contentur quidem se nosse, factis autem negant. Ergo gentes hic non appellat: qui jam de illis talia dixerat in propria causa.

Ut omne os obstruatur. Non solum gentium, sed etiam Iudeorum: dum non habent unde gloriari possint.

Et subditus fiat omnis mundus Deo. In confessione peccati.

Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro co-

ram illo. Modo non justificatur. Sive opera legis, circumcisionem dicit, sabbatum, & cæteras ceremonias: quæ non tam ad iustitiam, quam ad carnis lætitiæ pertinebant. Item non contraria sibi dicit Apostolus, superius dicens: Qui ostendunt opus legis in cordibus suis: Et nunc dicit: Ex operibus legis non justificari omnem carnem. Carnem accusat, cuius providentia legi Dei subijcere non potest. Lex enim ostendere novit peccatum: non tamen ostendit qualiter debeat observari: & iterum punire noxia, non dans veniam penitenti: Christus autem remissionem peccatorum donat credentibus, & docet quomodo debeant carnis vitia vitari, atque prudentia resecari.

Per legem enim cognitio peccati. Non remissio est peccati, sed cognitio. Ideo enim per legem quid sit peccatum, agnoscitur: quia aut in oblivione erat lex nature: aut ante legem literæ, leviora quæque non cognoscebantur esse peccata: id est, quæ aliis non nocebant: ut concupiscentia, ebrietas, & cætera huiusmodi.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est. Hoc est quod dicit: quia iustitia quæ in Christo manifestanda erat, in lege naturali non erat cognita. Testimonia autem legis Moyli & Prophetarum, annunciatione prædicantur. Item sine lege literæ iustitia manifestata: quæ nobis gratis à Deo donata est: non nostro labore quaesita: & apertius per exempla Christi, evidentiora patefacta, quæ latebant in lege.

Testificata à lege & Prophetis. Sive iustitia hæc prædicata est à lege & Prophetis: in novissimis temporibus esse ventura: sive cognitio peccati, à lege & Prophetis testimonium accepit.

Iustitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Iustitia, qua creditur Christo.

Non enim est distinctio. Inter Iudeum & Græcum.

Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Quia non habent suam.

Iustificati gratis per gratiam ipsius. Sine ulla operum actione per baptismum, quod omnibus non merentibus gratis peccata donavit.

Per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Qua nos redemit sanguine suo de morte: cui per peccatum venditi fueramus: secundum Isaiam dicentem: Peccatis vestris vendidisti. Quam mortem Christus vicit: quia non peccavit. Omnes autem rei eramus morti: cui se ille indebitè tradidit, ut nos suo sanguine redimeret. Unde Propheta prædixerat: Gratis vendidisti estis: & sine pecunia redimemini. Hoc est, quia nihil pro vobis accepistis & Christi estis sanguine redimendi. Simul illud notandum: quia redemit nos, non emit: quia antè per naturam ipsius fueramus, licet simus nostris ab eo alienati delictis. Tunc sanè fructuosa erit redemptio nostra, si peccare cessemus.

Quem proposuit Deus. In promptu ante oculos omnium posuit: ut qui redimi vult, accedat.

Propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ. Ut propicietur eis qui credunt se ejus sanguine liberandos.

Propter remissionem præcedentium delictorum. Propterea passus est Christus, ut propositum Dei sedaret: quo tandem punire decreverat peccatores.

In sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ ejus in hoc tempore. Vult ostendere Deum quidem ad hoc expectasse, ut tandem se corrigerent delinquentes. Illos verò male usos patientia Dei, in majora prolapsos esse peccata. Unde Job ille iustissimus suo tempore ait de peccatore: Dedit ei Deus locum penitentia: & ille abutitur eo in superbia.

Ut sit ipse iustus, & justificans eum qui ex fide est Jesu Christi. Qui solus inventus est, & quem ipse justificaverit: non ex operibus, sed ex fide.

Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Ad Iudeum loquitur: ne gloriaris te operibus meruisse iustitiam. Item interrogatio Iudæi est. Et responderetur ab Apostolo: Exclusa est. Item Iudæus interrogat.

Per quam legem? Factorum? Id est, per naturalem. Opera legis refelluntur ab Apostolo.

Non. Sed per legem fidei. Per quam legem? Factorum? Non Subauditur, est, sed per legem fidei. Legem, dicit statum fidei terminum, hoc est, novum Testamentum.

Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operi-

bus legis. Certi sumus, vel iudicamus. Abutuntur quidam hoc loco ad destructionem operum iustitiæ, solum fidem posse sufficere affirmantes: cum tamen alibi dicat Apostolus: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. In qua charitate, alio loco legis asserit plenitudinem contineri, dicens: Plenitudo legis est charitas. Quòd si hæc eorum sentit videntur esse contraria: sine quibus operibus legis Apostolus justificari hominem per fidem dixisse credendus est, scilicet circumcisionis vel sabbati, & cæterorum huiusmodi: non absque iustitiæ operibus: de quibus beatus Iacobus dicit: Fides sine operibus mortua est: hic autem de illo dicit: qui ad Christum veniens sola cum primam credit fide salvatur. Addendo autem, operibus legis: ostendit esse etiam gratiæ opera.

An Iudeorum Deus tantum? Nonne & gentium? Nunquid Iudeos solos Deus creavit: aut de illis solis curam gerit? Nam & gentes peccaverunt, & vos: & si vos convertimini, & illi. Si vobis venit Christus ex lege promissus, & illis. Nam & frequenter Propheta etiam de Iudeorum vocatione dixerunt.

Imo & gentium. Pulchrè modum servavit in verbis. Imo dixit: ut ostenderet magis gentes, quamvis non erant circumcisi. Et Abraham ante circumcisionem iustus. Et reddidit rationem ne Iudeos excludere videretur.

Quoniam quidem unus est Deus qui justificat. Utrique uni Deo, & uni Christo credidistis.

Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Ipsum est ex fide & per fidem: sed usus scripturarum hic est, ut in iisdem causis mallet mutare quam repetere sermonem: sicut in Daniele scriptum est: Propter Abraham servum tuum, & Isaac dilectum tuum, & Israel sanctum tuum.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statimus. Non contraria sibi Apostolus dicit, superius asserens exclusam esse umbram, & typum legis præsentis veritate: nunc autem infert approbare se legem in quo ipse testimonium perhibet. Abraham, non ex operibus legis, sed ex fide iustificatus est. Item, legem ergo quæ circumcidi præcipit, superfluum iudicamus. Absit. Imo stare faciamus, dum probamus verum esse quod dixit: legem legi, testamentum testamento, circumcisionem circumcisioni successuram.

Caput IV.

QUID ergo dicemus invenisse Abraham. Revocavit illos ad caput circumcisionis: ut quod initio constituerit, adhibeatur in toto.

Patrem nostrum. Patrem secundum carnis circumcisionem. Nam fides in mente consistit.

Secundum carnem. Dicens secundum carnem, ostendit traducem carnis esse, non animæ.

Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est. Si ex eo quod se circumcidit iustificatus est, nihil illi Deus donavit, sed ex se habuit gloriam. Aliter: Si iusta perfecit, apud semetipsum habet gloriam, non apud Deum.

Habet gloriam, sed non apud Deum. Dicens: habet gloriam: sed non apud Deum: ostendit eum ex operibus suis gloriam habere, & non ex Deo.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo. Tam magna fuit fides Abrahæ, ut & pristina ei peccata donarentur, & sola præ omni iustitia doceretur accepta, & tanto deinceps amore flagravat: ut super omnia se opera præpararet.

Et reputatum est illi ad iustitiam. Et ideo habet gloriam apud Deum, secundum quod lex probavit.

Ei autem qui operatur: merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Debitoris enim est facere quæ jubentur: & nisi paruerit, damnatur: si autem fecerit, non habet gloriam: quia inutilis adhuc servus dicitur, qui nihil amplius quam præceptum est operatur. Aliter: Non illi gratis donatur iustitia, sed merces redditur operum pristinorum.

Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiam. Convertentem impium, per solum fidem iustificat Deus non opera bona quæ non habuit. Alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Simul attende, quia non peccatorem di-

cit justificari per fidem, sed impium: hoc est nuper credentem asseruit.

Secundum propositum gratiæ Dei. Qui proposuit gratis per solum fidem peccata dimittere.

Sicut & David dicit beatitudinem hominis. Magna beatitudo est sine labore legis & penitentia, Domini gratiam promereri: sicut si quis aliquam dignitatem gratis accipiat.

Cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Ad hoc fides prima ad iustitiam reputatur, ut de præterito absolvetur: & de præterito justificetur: & ad futura fidei opera præparetur.

Beati quorum remissa sunt iniquitates: & quorum testata sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Quod penitetur, non teneur: & quod tegitur, non apparet: & ideo minime imputatur. Quidam dicunt remitti, per baptismum: tegi, laboribus penitentia: non imputari, per martyrium. Alii autem dicunt, remissis per baptismum peccatis, augeri charitatem in Deo, quæ operit multitudinem peccatorum: & deinceps non sinit imputari, dum bonis quotidie operibus, mala præterita superantur.

Beatitudo ergo hæc in circumcissione tantum manet: an etiam in præputio? Vult istam beatitudinem tribus temporibus assignare: naturæ, & circumcisionis, & Christianitatis.

Dicimus enim: quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Omnes enim confitemur, & consentimus: ut quod ratio de Abraham invenere, hoc de cæteris observemus.

Quomodo ergo reputata est ei: in circumcissione, an in præputio? Videamus utrum circumcisio ex iustitia, an iustitia ex circumcissione sit nata.

Non in circumcissione, sed in præputio. Quia antè iustus, quam circumcisus.

Et signum accepit circumcissionis. Ne dicerent: ergo superflue circumcisus est: signum aut esse iustitiæ, non augmentum.

Signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Signaculum accepit illius iustitiæ, quam præputiati fides meruit. Perfecta enim fuit, ut signaculum mereretur. Semper enim res plena signatur. Sive ut ostenderet: quam iustus & fidelis esset, qui dolorem sibi ex mandato Dei dubitavit inferre. Non putaret superfluum quod ab essentiarum Domino jubebatur: sicut nec patricium credidit impium, quod fons præceperat pietatis.

Ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circumcissionis, non his tantum qui sunt ex circumcissione, sed & his qui cætantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Ut omnes qui ex gentibus credunt, filii sint Abrahæ: dum & illis sola fides ad iustitiam reputatur: Erunt ipsi circumcisi, sed corde. Sive quia in præputio iustus fuit, ut esset incircumcisorum pater: & circumcisus iustus permansit, ut circumcisorum iustorum fieret pater.

Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus. Hic enim legem ipsam circumcisionem appellat: eo quod possit omnè præceptum, lex intelligi.

Ut heres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Sive in semine ejus, quod est Christus, benedicerentur omnes gentes: quæ illi in hereditatem à parte sunt datæ. Sive, ut cum eo recumbant gentes in regno cælorum.

Si enim qui ex lege heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. Si illi soli, ut vos vultis, circumcisi heredes sunt: non implevit Deus promissum Abrahæ, ut pater esset multarum gentium: & si ita est, jam videbitur Deo sine causa credidisse.

Lex enim iram operatur. Quia iniustus est posita: & magis gravavit peccare volentes, quam absolvit, per scientiam cumulando delicta. Si enim cæci essetis, peccatum non haberetis.

Ubi enim non est lex, neque prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum: sicut scriptum est. Cum ergo fides exinaniri non potest, nec promissio aboleri: non est ex lege hereditas, sed ex fide. Lex enim non donat peccata, sed damnat: & ideo non potest omnes gentes filios facere Abrahæ: quia